



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

5. Inter ceteras &c. Statuta pro Ecclesia Aniciensi: anno 1267.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74452)

ANN O
1265.

S. R. E. vice-cancellarii II. nonas Novembris indictione nona, Incarnationis Dominicae M C C L X V. Pontificatus vero Domini Clementis papae IV. anno primo.

IV.
Ex Anecd.
Martene
Tom. 2. col.
1812.

Ad Hugonem comitem Ruthenensem. Permittit ei habere altare portatile anno: 1266.

C L E M E N S EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei dilecto filio nobili viro HUGONI comiti Ruthenensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Quia Deo & apostolica sedi devotus & ecclesiae Romanae specialis vassallus esse dignosceris, te libenter prosequimur favoris gratia specialis. Cum itaque te, sicut asseris, frequenter ad loca, in quibus non sunt ecclesiae vel capellae, devenire contingat, timeasque propter hoc interdum divinis officiis defraudari. Nos tuis devotis supplicationibus inclinati, apostolica tibi auctoritate concedimus, ut capellanus tuus, qui pro tempore fuerit, secum possit habere altare portatile cum debita reverentia & honore; in quo tibi & familiae tuae, cum ad huiusmodi loca perveneris, vel aliis evidens necessitas imminet, missarum solemnitas celebrare valeat, sine juris praedictio alieni. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem haec attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se noverit incursum. Datum Perusii XII. kalendas Martii, Pontificatus nostri anno II.

Statuta pro Ecclesia Aniciensi: anno 1267.

C L E M E N S EPISCOPUS,

Ad perpetuam rei memoriam.

Inter ceteras sollicitudines quibus animus noster jugiter ad diversa trahitur, frequenter ad statum Aniciensis ecclesiae vertimus apostolicae considerationis intuitum, & multiplex ratio nos invitat, ut ad ipsam specialis affectionis animam habeamus. Non enim sumus, nec esse debemus immemores, quod in illa dudum honoris incrementa suscepimus, in ea promoti fuimus ad episcopalis (a) apicem dignitatis, apud illam aliqua tempora aetatis nostrae percurimus, ut inde faciente Domino, cum gradatim habuerimus ad altiora progressum, respiciamus eandem ecclesiam more patris ut filiam, & in mente nostra ferventi desiderio geritur, ut Ecclesia ipsa spiritualiter & temporaliter augmenretur, ac in omnibus prosperè dirigatur. Porro quia consuetudines & conditiones ejus agnovimus, & ibidem aliqua vidimus, quae decentiorem modum in observantiis exigebant, cordi nobis admodum extitit, ut utile &..... consilium apponere curaremus. Verum cum dilecti filii capitulum ejusdem ecclesiae venerabili fratri nostro Aniciensi episcopo commisissent, ut vice ipsorum statueret, ordinaret & faceret, quae ad conservandum & reformandum prosperum & honestum ipsius ecclesiae statum competere, & cognosceret perti-

(a) Ex Archidiacono Aniciensi episcopus electus est anno 1259. factus anno sequenti Archiepiscopus Narbonensis, postea Cardinalis, ac tandem summus Pontifex.

nere; ac idem episcopus & tres ecclesiae praefatae canonici, quos ipsi sibi super hoc adjunxit, de ipsius capituli voluntate, prout eis visum extitit, super aliquibus providissent, nos illa quae sub certis videbantur ordinasse capitulis praesentata nobis diligenti examinatione discussimus, & eis juxta studium apostolicae providentiae limae correctionis expositis quamplura solerter adjecimus, & quaedam exinde justissime rescanda. Consideratis autem omnibus quae circa praemissa fore praevidimus attendenda, statuta quaedam & ordinationes edidimus in forma annotatas, quae in praedicta ecclesia jubemus & volumus perpetuis temporibus observari.

I. Quare de apostolica plenitudine potestatis statuimus & ordinamus quod quilibet canonicus Aniciensis ecclesiae, & in dignitate seu personatu quolibet constitutus, chorum ipsius ecclesiae semel ad minus in die ingredi teneatur, & ibidem alicui horae canonicae interesse diei & quod de cetero de illis quatuor solidis Poldiensis monetae, qui pro libratione claustris confueverant singulis canonicis exhiberi, cuilibet eorum dentur duo; reliqui vero duo solidi ratione illius horae cui interfuerit, libentur unicuique. Quod si non interfuerit, nequaquam percipiat, & loco quotidianarum distributionum, quae dari solent in horis, in posterum habeantur. Hoc autem salvo quod in theologia nunc & in posterum studentibus, quantum ad hos duos solidos, nullum praedictum generetur: quos etiam percipiat qui praesens in civitate Aniciensi aliqua hora diei per absentiam, vel per aliam justam causam foris impeditus, ipsum chorum ingredi non valebit.

II. Item, Quod quilibet clericus ejusdem ecclesiae semel ad minus in die chorum ipsum teneatur intrare, & aliqui horae canonicae, in qua etiam distributiones infra scriptae non sient, & bis in hebdomada matutinis officiis interesse; alias ipsa die qua defecerit, vel proxima qua post defectum huiusmodi clericis primum librabitur, superpellicii ipso facto sit liberatione privatus. Eo salvo, quod vicariis canonicis pauperibus & clericis inferius est statutum.

III. Item, Quod omnes vicarii & capellani capellarum & canonici pauperes ejusdem ecclesiae singulis horis diurnis interfint, cum ad hoc sint specialiter deputati, praesertim tota missae horae prima, & ipsi * prima horae nonae & vespere & completorio, & ter ad minus in hebdomada interfint matutinis. Et si defuerint in una horarum praedictarum, in media liberatione superpellicii ipso facto; in duabus vel pluribus, tota liberatione diei ejusdem vel proxima, in qua post defectum huiusmodi primum librabitur priventur, nisi infirmitate impediti fuerint, vel alia justa causa. Omnes etiam praedicti teneantur ibidem ad residentiam personalem.

IV. Item, Clericuli omnibus horis interfint; & si duabus horis diurnis vel nocturnis defecerint, priventur libratione superpellicii ipsa die. Et si succentor negligens fuerit circa correctionem eorum, die illa qua ipsos non correxerit negligentes, claustris libratione puniatur. Et si legitime monitus in negligentia huiusmodi perseveraverit; amoveatur ab officio succentoris per capitulum memoratum.

V. Item, Quod canonici pauperes circa officandam ecclesiam & sepulturam canonicorum majorum ipsius ecclesiae se habeant ex antiqua observantia sicut debent: si defecerint per se vel per vicarium minimè serviendo, amittant duodecim denarios Vienneses, quos recipiat departiendos eis qui huiusmodi

ANN O
1265.

Canonici uni
saltem horae
in choro inter-
ferint quo-
tidie.

Similiter &
clerici, & bis
in hebdoma-
da matutinis.

Vicarii &
capellani &
pauperes ca-
nonici singu-
lis horis diur-
nis. f. tertiae.
* f. sextae.

Clericuli hor-
is omnibus
interfint.

Canonici
pauperes.

V.
Ex Anecd.
Martene
Tom. 2. col.
476.

Officiarios ante finem classichorum intrant.

officium pro eis fecerint illa die, nisi iusta & necessaria causa exiterint impediti.

vi. Item, Quod officiatores, quibus officium chori injungitur in principio matutarum & vesperarum ante finem classis, & in principio introitus missæ, chorum ipsum teneantur intrare: ita ut illi cui officium committeretur nisi tunc intraverit, vel in officio hujusmodi defecerit, si præsens est canonicus in medio claustris, libratione superpellicii puniatur diei ejusdem, vel illius in qua librari contigerit, quæ librationes supplenti officium hujusmodi deputentur.

vii. Item, Quod in missa majori clerici vel canonici existentes in choro sedere minime incipiant ante epistolam, nisi ultima ipsius missæ oratione completa.

Canonici bis in hebdomada matutinis interfunt.

viii. Item, Quod quilibet five canonicus, five clericus vel in dignitate qualibet constitutus, bis in septimana ad minus teneatur interesse scilicet matutinis, processioni, & missæ defunctorum: alias in libratione superpellicii diei sabbati septimanæ ejusdem vel sequentis diei, in qua primum librabitur, si forte ipsa die sabbati librari non contigerit, puniatur; nisi absentia, infirmitate, vel alia iusta causa valeat excusari.

Clerici sint in ecclesia decem.

ix. Item, Quod sit certus numerus clericorum in ipsa ecclesia, scilicet decem, ultra quem numerum præcentor sine consensu capituli à modo nullum ponat five introducat in ecclesia memorata.

Clericuli ante annum xx. non admittendi.

x. Item, Quod item præcentor aliquem clericulum non possit facere, seu clargistrum donec vigesimum annum attingat, nisi alias talis arbitrio capituli appareat, quod merito deberet fieri ante tempus prædictum, nec etiam aliquem clericulum faciat seu introducat de novo postquam tempus attingerit memoratum, & nisi sufficiens idoneus examinatus prius in officio ecclesiæ sit inventus.

Distributiones.

xi. Item, Quod ad distributiones: illis omnibus portantibus in dicta ecclesia superpellicium, qui horis canonicis in præfato choro intererint, faciendas assignet episcopus ipsius ecclesiæ centum libras Viennenses censuales, vel fenel centum libras Viennenses pro se & successoribus suis solvere teneatur.

Potationes & archa clericorum.

xii. Item, Quod potationes & archa clericorum chori servitio deputentur, prout alias cum fiebant distributiones hujusmodi factum fuit: ita quod capitulum ipsius ecclesiæ faciat valere dictas potationes seu beuendas quinquaginta libras Viennenses: Clerici verò alias quinquaginta libras Viennenses archam prædictam suppendio, si quid defuerit de summis præfatis.

Clerici portantes superpellicium.

xiii. Item, Quod quilibet clericus portans nunc & etiam in futurum superpellicium in ecclesia memorata, non habens aliud officium vel beneficium ibidem præter superpellicium, teneatur assignare infra sex annos decem solidos Podiales debitaes, vel solvere decem libras Podienses pro emendis redditibus ad servitium dicti chori, & interim donec assignaverit, solvat quindecim solidos Podienses annuatim.

Dignitates seu personatus.

xiv. Item, Quod tam in dignitatibus seu personatibus constituti, quam canonici & alii clerici, qui ultra superpellicium aliquod officium seu beneficium in ipsa habent ecclesia, viginti solidos Podienses infra sex annos singuli teneantur in redditibus assignare, vel solvere viginti libras Podienses pro redditibus emendis exinde, & interim donec assignaverint vel solverint dictos viginti solidos annuatim persolvant. Quæ omnia tam de his qui nunc sunt, quam de

(b) Classus est signum ad officium, quod cum omnibus campanis pulsatur.

his qui in posterum fuerint canonici vel clerici in ipsa ecclesia, vel etiam dignitates inibi seu personatus habentes volumus observari.

Magister hospitalis.

xv. Item, Quod magister hospitalis ejusdem loci qui nunc est, & quilibet qui in posterum pro tempore fuerit, ultra id quod ut simplex clericus dare tenetur ratione magisterii, decem solidos Podienses det ad idem servitium annuatim.

xvi. Item, Quod quilibet clericus seu clericulus, qui ex nunc seu in futurum superpellicium de novo portabit, & quilibet qui in canonicum ejusdem ecclesiæ fuerit receptus, vel dignitatem seu personatum adeptus, nihil percipiat de librationibus superpellicii vel præbendæ, prima libratione dumtaxat excepta, donec ad idem servitium centum solidos Viennenses clericus, canonicus verò five fuerit dignitatem seu personatum adeptus, solverit decem libras: quas summas prædictorum quilibet solvere sit adstrictus.

Duo denarii his qui missæ matutinis & vesperis interfuerint distribuendi.

xvii. Item, Quod de præfata pecunia ad ipsius chori servitium deputata singulis canonicis, clericis, clericulis, ac in dignitate seu personatu quolibet constitutis, qui in ipso choro singulis intererint officiis matutinis denari duodenarii Podienses, & tantundem his qui intererint missæ majori: illis etiam qui vesperis intererint distribuatur tantundem.

Distributionum cura duobus assignanda.

xviii. Item, Quod annuatim tempore quo creantur bajuli clericorum, recipiendi & distribuendi dictos denarios, & rationem reddendi cura duobus viris idoneis à capitulo & ipsis clericis committatur, præfatis ab eis personatibus juramento, prout ab aliis clericorum bajulis fieri consuevit, de prædictis fideliter adimplendis.

xix. Quod ad distributiones solis canonicis & constitutis in dignitate seu personatu etiam faciendas, ipsorum quilibet, qui nunc sunt vel pro tempore fuerint, ratione præbendæ, necnon & succentori ejusdem ecclesiæ infra quinque annos assignent viginti solidos Podienses censuales, vel viginti libras Podienses pro redditibus emendis persolvant, interim nihilominus donec assignaverint vel solverint, ipsos viginti solidos annis singulis solvatur.

xx. Item, Quod tertia pars eorum omnium, quæ absentes & residentiam minime facientes de ecclesia seu bonis ipsius ecclesiæ qualiacumque annuatim, percipiant, servitio, chori pro emendis redditibus ad dictas distributiones faciendas canonicis deputetur: absens verò quantum ad hoc intelligatur, qui per sex menses continuos in dicta ecclesia minime residet, nisi studii peregrinationis, infirmitatis, vel alia iusta causa fuerit impedita: & hæc etiam omnia intelligantur tam de canonicis, quam de aliis, dignitates, personatus, officia, pensiones, terras, vel ecclesias in ipsa ecclesia, vel ejus ratione habentibus ubicumque, & tam de presentibus quam futuris.

Dignationes quid solvere debeant ad faciendas distributiones.

xxi. Item, Quod dignitates seu personatus, officia, terras, seu pensiones habentes in ipsa ecclesia, vel ratione ejusdem, qui nunc sunt, vel pro tempore fuerint, in sui ratione ultra ea quæ ut canonici & clerici tenentur facere, prout superius continetur, decanus scilicet præpositus, & abbas seu isorum quilibet ad faciendas distributiones eadem, solvant viginti libras Viennenses, & in posterum solvere teneantur. Abbas verò S. Petri de Turre quindecim, abbas S. Evodii decem, præcentor decem, thesaurarius decem libras, foris decanus major centum solidos: minor verò foris decanus quinquaginta solidos, cellarius quinquaginta solidos, seculares quinquaginta

ANNO
1265.

ANNO
1265.

solidos, punctuarius quindecim solidos, magister scholarum quinquaginta solidos, margarius decem solidos, thuribularius decem solidos, sacrista altaris crucis decem solidos, sacrista altaris Dei & S. Jacobi viginti solidos. Terrarii autem ipsius ecclesie seu pensiones habentes, quicumque sint vel fuerint in futurum, sive canonici simplices, sive personatus & officia obtinentes, dent annuatim centesimam partem omnium reddituum, quos ratione ipsius ecclesie percipiunt, hoc salvo nihilominus, quod de absentibus superius est statutum.

xxii. Item, Quod fructus praebedarum, dignitatum & personatum, abbatis dumtaxat exceptis, beneficiorum & officiorum quorumlibet ejusdem ecclesie, nec non ecclesiarum & terrarum, ad cuiuscumque collationem pertineant, ex quo vacaverint, scilicet primi anni a vacationis tempore computandi, & quamdiu vacaverint, si ultra annum vacare contigerit, chori servicio pro emendis redditibus deputentur, ad distributiones faciendas eisdem: ita quod ipsorum canonicorum bajulus, vel quem ipsum capitulum ad hoc elegerit, recipiendi & distribuendi canonicis dictos denarios curam gerat, & rationem reddendi, ut superius est expressum, hoc salvo quod in eo quod de ipsarum praebedarum vacantium fructibus consuevit ab antiquo recipere, ex hoc nullum praedictum generetur.

xxiii. Item, Quod de dicta pecunia distributionibus faciendis canonicis, & in dignitatibus seu personatibus constitutis, ut dictum est superius, deputata, singulis canonicis & in dignitatibus seu personatibus constitutis, qui intererint matutinis officii singulis diebus Dominicis, Mercurii & Veneris, dentur ultra praedicta sex denarii Podienses: his vero qui majori missae intererint quatuor, illis etiam qui vespere intererint tantumdem, illi insuper tantumdem habeant, qui quodcumque toti missae B. Virginis intererint horae primae.

xxiv. Item, Quod eadem distributiones dandae in missa, prout superius continetur, nec canonicis nec clericis dentur, nec aliis quibuslibet, donec ipsius missae Agnus Dei fuerit decantatum. Et si antea inde exierit aliquis ex eisdem absque causa rationabili, nec postea ad eandem missam redierit, de distributionibus missae ejusdem aliquam non recipiat portionem.

xxv. Item, Quod si pecunias dictarum distributionum faciendarum vel solis canonicis & in dignitate seu personatu constitutis, vel etiam clericis in ipsa ecclesia superpellicium portantibus univervis, ut supra dictum est, aut etiam redditus contingeret in posterum augmentari, distributiones etiam prout commodius fieri poterit augmententur.

xxvi. Item, Quod canonicis officians in choro praedicto qualibet vice percipiat sex denarios Podienses, clericus vero canonici supplens defectum, vel etiam alias officians, quatuor habeat de communibus distributionibus supra dictis.

xxvii. Item, Quod in ipsa ecclesia duae praebedae proximè inibi vacaturae, postquam illi qui jam in canonicos recepti ibidem praebedas fuerint affecti, sint sacerdotales & hebdomadales, ultra illas quatuor quae sunt & esse debent sacerdotales in ea, & praebedam etiam, quam tenebat ibidem jamdudum Guillelmus de Monte revello senior, qui sacerdotalis exitit ab antiquo, sive etiam sex diaconales praebedae, illa quam tenet ibidem Petrus Aspasi, quae diaconalis exitit inclusa, & sex sub-

diaconales, quas habentes officium per se vel per concanonicum diebus solemnibus & i. x. lectionum festis serviendo majori altari adimpleant, prout a succentore ordinabitur juxta ordinem vicis suae, & ibidem residentiam faciant personalem.

xxviii. Item, Quod subdiaconis & diaconis canonicis praedictis ipsi altari majori servientibus, clericali subdiaconi, & clerici diaconi, qui assistere in ipso officio tenentur eisdem, recipiant quod consueverunt recipere ab antiquo.

xxix. Item, Quod ipsi diaconi & subdiaconi canonici supra dicti de dictis distributionibus duodecim denarios Podienses percipiant diebus singulis quibus dictum exercent officium, praeter alias distributiones praefatas.

xxx. Item, Quod ipsi diaconi & subdiaconi canonici qui in officio suo praedicto per se vel concanonicum non deservierint, illa die in media libratione claustrum, vel quam primum libabitur puniantur: quae libratio supplemto defectum ejus in officio hujusmodi deputetur.

xxxi. Item, Quod quodcumque canonicos dictae ecclesiae & dignitates seu personatus habentes super capituli tractatibus contigerit in ipso capitulo convenire in unum, pulsetur tribus vicibus campana ad haec specialiter ab ipso capitulo deputanda, prout in aliis Galliae ecclesiis observatur. Post cujus pulsationem tertiam, in his quae praesentes expediri consueverunt, vel possunt ab illis qui conveniunt, procedatur, aliorum absentia non obstante, & valeant quae facta fuerint ab eisdem.

xxxii. Item, Quod ter ad minus in hebdomada, diebus scilicet Lunae Mercurii & Veneris, ipsi canonici & dignitates seu personatus habentes in capitulo conveniant, de negotiis ac de utilitate ecclesiae tractaturi: ita quod post horae primae exitum ter vel quater tantummodo pulsetur ad januam, post cujus tertiam pulsationem vel quartam, succentore sine dilatione ad eam, sicut moris est, cum processione eunte, ipsa campana tunc in continenti pulsetur, & ab illis, sicut dictum est, qui venient procedatur.

xxxiii. Item, Quod in ipsis tractatibus & negotiis, sicut juris communis esse dignoscitur, stetur majori & saniori parti ipsius capituli, partis non obstante minus rationabili contradictione minoris, seu quod contrarium ibidem servatum est hactenus per abusum: ita tamen quod voluntas canonicorum ipsorum non singulariter extra capitulum, sed in capitulo ipso communiter saltem, & officiorum quorumlibet collatio a modo palam & non occultè in ipso fiat capitulo ab his ad quos spectat ordinatio eorundem.

xxxiv. Item, Quod dignitates seu personatus, officia, terras, vel pensiones habentes nunc, vel etiam in posterum habituri, teneantur ibidem residentiam facere personalem, & tenere hospitia, scilicet decanus, praepositus & abbas, seu ipsorum quilibet ad minus cum sex clericis superpellicium portantibus, vel canonicis ecclesiae memoratae, quorum librationes percipiant sicut hactenus fieri consuevit. Abbas autem S. Petri de Turre cum quatuor, Abbas S. Eyodii cum tribus; thesaurarius vero & praecentor, unusquisque eorum cum tribus; quilibet vero canonicus habens quadraginta libras Vienneses in redditibus qualitercumque ab ipsa ecclesia, vel de bonis ejusdem ultra suam praebedam cum duobus, nisi absens fuerit idem canonicus causa studiorum. Quod si quis in dignitate vel personatu constitutus

Fructus vacantium beneficiorum chori servitio assignandi.

Distributiones faciendae his qui matutinis, missis & vespere intererint.

Distributio quando faciendae.

Distributiones augendae si redditus augetur.

Distributio officium facientis.

Praebedae sacerdotales diaconales & subdiaconales.

Diaconi & subdiaconi in suo officio non serviantes puniendi.

Capitulum ad campanam pulsatum.

Ter in hebdomada congregandum.

In quo praevaleat major & sanior pars.

De residentia & hospitio.

ANN O
1265.
* F. earum.

Beneficio-
rum plurali-
tas damnata.

Capellani.

Superpelli-
cium quibus
non conce-
dendum.

Quibus da-
tur fidei ju-
ramentum
praesent.

Magister
scholarum sit
canonicus.

de terris ipsius ecclesiae dictas quadraginta li-
bras haberet, ratione * eorum, clericorum
etiam numerum teneatur augere, ultra illum
quem tenebantur habere ratione dignitatis ip-
sius.

xxxv. *Item*, Quod si quis canonicus habens
nunc vel habiturus in posterum terras ejusdem
ecclesiae, dignitatem ibidem adeptus fuerit vel
personatum, ipso jure vacent terrae ipsae praedi-
ctae.

xxxvi. *Item*, Quod nullus clericus in civi-
tate Aniciensi praefata duas possit canonicas seu
praebendas habere, scilicet in majori ecclesia
& in collegiatarum aliqua aliarum; sed vacet
ipso jure prima postquam secundam fuerit af-
secutus: his tamen exceptis qui jam sunt in ut-
traque recepti.

xxxvii. *Item*, Quod nullus a modo consti-
tuatur ad serviendum capellae vel altaribus
ejusdem ecclesiae, nisi sit ipsius ecclesiae cleri-
cus, qui teneatur chori servitio interesse.

xxxviii. *Item*, Quod nulli in ipsa ecclesia
superpellicium concedatur, nisi de legitimo
matrimonio, bonae famae, sanus corpore, vi-
delicet membrorum non patiens maculam, vel
laesionem enormem, vel aliam morbo incurabi-
li non laborans, & conversationis existat
honestae, nec aliquam religionem ingressus,
habens etiam unde possit commode sustentari;
alias dum residens fuerit, providere qui ipsum
introduxerit egenum teneatur eidem.

xxxix. *Item*, Quod quilibet clericus cui a
modo superpellicium concederetur, juret capitu-
lo ipsius ecclesiae fidelitatem servare, & tam
jura ipsius ecclesiae bona fide defendere,
quam universitatem etiam clericorum ipso-
rum.

xl. *Item*, Quod quilibet clericus ipsius eccle-
siae bona ejusdem ecclesiae & clericorum ipsius
pro posse defendere teneatur, nec contra eam
consilium vel auxilium audeat impertiri. Quod
si legitime monitus contra fecerit, superpellicio
spolietur.

xli. *Item*, Quod nullus canonicus vel cleri-
cus quicumque ipsius ecclesiae contra concan-
onicum vel condericum pro extraneis praestet
publice consilium vel juvamen.

xlii. *Item*, Quod Magister scholarum e-
jusdem ecclesiae quicumque pro tempore fuerit,
a modo sit ejusdem ecclesiae canonicus, &
quod praebendam percipiat, juxta suae recep-
tionis ordinem sibi debitum, sine tamen eorum
praesudicio, qui jam recepti expectant praeben-
das vacaturas ibidem, qui legere in facultate
theologica, & facere personale continuum re-
sidentiam, necnon tenere hospitium ad minus
cum tribus clericis ipsius ecclesiae inibi teneatur:
ita quod interim etiam antequam praebendam
fuerit assecutus, distributiones chori, sicut u-
nus ex aliis canonicis habeat: quindecim tamen
denariis Podiensibus, quos de libratione clau-
stri ab antiquo consuevit recipere computatis,
ad quas distributiones sicut & alii canonici te-
neantur conferre, ut superius est expressum.
Si vero idem magister absque praefati licentia
capituli se voluntarie absentavit, fructus scho-
lasticae amitat, quamdiu absens fuerit, qui
tunc & etiam cum ipsam scholasticam vacare
contigerit, & cum ceteris bonis ipsius successori
debeant fideliter & abque diminutione quali-
bet conservari. Quod si per capitulum legitime
monitus, absens non redierit; per ipsum capi-
tulum amoveatur omnino, & alii idoneo con-
feratur. Eidem autem scholasticae de terris ip-
sius ecclesiae ad collationem decani spectantibus
usque ad annum valorem quinquaginta libra-
rum Viennensium consuetis canonicis ejusdem
conferri, si vacaret ad praesens, vel quam pri-

um ad id offret se facultas, non obstante si
pro aliis superassignandis seu conferendis * ter-
ras hujusmodi direximus scripta nostra, quibus
nolumus auctoritate praesentium praesudicium
generari, per episcopum ejusdem ecclesiae volu-
mus & praecipimus auctoritate apostolica affi-
gnari, contradictores per censuram ecclesiasti-
cam appellatione postposita compescendo: ita
quod collatio scholasticae ejusdem, quae nunc
ad decanum Aniciensis ecclesiae cum certo ca-
nonicorum numero pertinet, concedi cum con-
sensu ipsius capituli vel majoris vel sanioris par-
tis in ipso facienda capitulo, prout in ipsorum
canonicorum creationibus consuevit fieri, per-
tineat ad eandem.

xliii. *Item*, Quod clerici, qui a modo
portabunt superpellicium in ecclesia memorata,
examinentur prius an sint idonei in legendo &
cantando officio ecclesiae per aliquem virum dis-
cretum ad hoc per ipsum capitulum deputan-
dum. Aliter non introducantur, illis tamen
exceptis, de quibus ipsi capitulo aliam videbitur
expedire.

xliiv. *Item*, Quod nullus canonicus cleri-
cus vel etiam in dignitate seu personatu quolibet
constitutus; cum divina officia in choro ipsius
ecclesiae cantabuntur, in plano seu platea ejus-
dem ecclesiae extra chorum ipsius, a choro
scilicet seu altari crucis versus majus altare,
nisi forte transeundi necessitate vel peregrino-
rum occasione, stare, ire audeat, vel sedere,
vel nisi in capellis vel subtus altare Dei ecclesiae
memorate.

xlv. *Item*, Quod si qui publici concubina-
rii, vel luca exercentes inventi fuerint inho-
nesta, vel si qui servitio altaris seu custodiae
deputati, praedicti de incontinentiae vitio fue-
rint diffamati ab altaris servitio & ecclesiae expel-
lantur.

xlvi. *Item*, Quod omnes tam canonici quam
clerici quicumque praedictae ecclesiae in choro,
cum divina officia celebrabuntur, in stando &
sedendo honeste se habeant, non ridendo,
non loquendo, non confabulando, sed debi-
tum silentium continendo, gestum congruum,
faciem & corpus honestum ostendunt.

xlvii. *Item*, Quod extra chorum infra ip-
sam ecclesiam nullus clamare, rixari, seu in-
verecunde ad invicem vel cum mulieribus,
seu aliis inhonestis personis confabulari au-
deat, nec per viam currere, seu currendo
transire.

xlviii. *Item*, Quod stabularii seu alber-
garii ejusdem loci nihil a modo percipiant in
his quae altaribus ecclesiae offerunt peregrini,
nec ad ipsa altaria eos ducant, nec aliqui alii
ipso peregrinos clamando maxime inducant,
seu attrahant ad ipsius ecclesiae altaria vel ca-
pellas.

xlix. *Item*, Quod nec canonici nec clerici
quilibet cum habitu ecclesiae claustrum limites
transgredi praesumant, nec per claustrum seu
villam sine cappa vel mantello extra hospitium
incedant, nec publice per villam canonicus sine
clerico, vel alia honesta persona, nec clericus
sine socio, nec ibi in carreria seu platea publica,
sine competenti habitu stare seu sedere praesu-
mat.

l. *Item*, Quod nullus canonicus vel clericus
quilibet sine cappa vel mantello argando seu ta-
bardo per civitatem Aniciensem audeat equi-
tare, nec manticam seu torseriam post se de-
ferre.

li. *Item*, Quod portantes de novo a mo-
do superpellicium in ipsa ecclesia habeant rau-
bam novam ad minus, scilicet superpellicium
& cappam ecclesiae, si ibidem voluerint resi-
dere.

ANN O
1265.
* F. terris.

Clerici reci-
piendi exami-
nandi.

Canonici
cum celebra-
tur officium
extra chorum
non sint.

Diffamati
ab altaris of-
ficio expel-
lendi.

Modestia in
choro.

Et extra cho-
rum.

Stabularii &
albergarii.

Cum eccle-
siae habitu
extra eccle-
siam non
standum.

De habitu
canonico-
rum.

ANN O
1265.Tabernas
non frequen-
tent.

Nec choreas.

LII. *Item*, Quod ipsi clerici vel canonici cum habitu ecclesie palam non deferant chirothecas, nec caligis albis utantur, nec supertunicalia scissa seu partita à latere deferant, nec cappas quarum capacia alterius coloris existat, nec cum capellis seu cossis lineis apparentibus incedant ibidem.

LIII. *Item*, Quod à modo canonicus, vel clericus aliquis ipsius ecclesie Aniciensis tabernas non intret, nec domos eis contiguas, causa in eis potandi seu comedendi, & maxime mense Augusti juxta abusum antiquum.

LIV. *Item*, Caligis rubeis maxime tempore paschali pannis de serico transgulatis seu reatis à modo non utantur, nec annulos publicè deferant, nec choreas cum laicis aut mulieribus intrare præsumant.

LV. *Item*, Quod ille qui institutus est ad pulsandas campanas campanilis majoris ecclesie memorate, novas etiam teneatur pulsare campanas horis debitis & diebus, juxta ipsius ecclesie observantiam & arbitrium duorum honestorum virorum, quos ad hoc dictum capitulum duxerit deputandos, ipsorum nihilominus arbitrio, si circa hoc negligens aut rebellis extiterit, puniendus.

LVI. *Item*, Quod librationes superpellicii ipsius ecclesie quas amittent canonici vel clerici, quilibet ejusdem, vel alii in dignitatibus constituti incidentes in pœnam, juxta ordinationem præmissam, chori servitio deputentur, recipiendæ per illos quibus cura recipiendi denarios dictis deputatis distributionibus committentur. Librationes vero claustrii quas amittent canonici, vel in personatibus constituti, ipsorum specialibus distributionibus applicentur.

LVII. *Item*, Quod quicumque five canonicus, five clericus, vel in dignitate seu personatu quolibet constitutus in pœnam amissionis librationis claustrii, vel superpellicii in toto vel in parte incidens juxta ordinationem præsentem, eam ex certa scientia receperit, seu recipi fecerit, vel recepto pro ipso ab alio librationibus non restituerit quam primum, habebit certificata super hoc facultatem, ex tunc per mensem ab ingressu ecclesie & perceptione librationis superpellicii, sit ipso facto suspensus; nisi legitime monitus restituerit, omni beneficio ipsius ecclesie spoliatur.

LVIII. Præterea statuimus & auctoritate apostolica ordinamus, quod nullus nisi constitutus in sacris in decanum dictæ ecclesie possit à modo eligi seu assumi, nec aliter alicui de ipso decanatu apostolica seu quavis auctoritate alia valeat provideri, decernentes quod secus actum fuerit non valere.

LIX. *Item*, Quod tam idem decanus quam præpositus ejusdem ecclesie in sacerdotes: abbates vero sæculares in diaconos; habentes officia scilicet præcentor, & thesaurarius, foris decani in subdiaconos, qui nunc sunt & pro tempore fuerint, sine dilationis medio statutis temporibus se faciant promoveri, alioquin quo usque adimpleverint, dignitatibus, officiis, & beneficiis hujusmodi, eo ipso, penitus sint suspensi. Quod si suspensionem hujusmodi per sex menses sustinuerint, ipsis eos esse privatos volumus, ea ex tunc vacare decernentes omnino per eos, ad quos spectat illorum ordinatio seu collatio liberè ordinanda aut etiam conferenda.

LX. *Item*, Quod nullus canonicus major viginti quinque annis, postquam per quinquentium canonicus extiterit ecclesie supra dictæ, sede Aniciensi vacante, ab ipso capitulo ubicumque fuerit, ad electionem vocetur episcopi, nisi ad sacros ordines promotus, nec ex hoc possit dicere se contemtum. Ad eam tamen veniens admittatur.

Decanus eligendus fit in sacris.

Dignitates ad sacros ordines promoventur.

Ad electionem episcopi non vocandi in sacris non constituti.

LXI. *Item*, Sanè cum super cura canonicorum ipsorum ac constitutorum in personatibus seu dignitatibus quibuscumque, nec non clericorum quorumlibet & familiarum ipsorum orta fuerat dubitatio longis temporibus retroactis: adeo ut ex hoc error quidam non absque animarum ipsorum periculo procedere videretur; statui- mus ut decanus ipsius ecclesie, qui nunc est & pro tempore fuerit, curam ipsorum omnium, nec non aliorum quæ ad hospitale B. MARIE ejusdem loci prædiorum pertinent habeat, quam per se & alios, quos ad hæc idoneos noverit, & illa tantummodo quæ ad forum pœnitentiale pertinent exerceat; videlicet confessiones audiendo, & pœnitentias injungendo, ad ea quæ judicalem indaginem, jurisdictionem seu correctionem alias exigunt, potestatem suam minime extensurus. Episcopus vero Aniciensis ipsius decani curam juxta hunc modum, qui eidem decano circa prædictos traditur, gerere debet & habere. Magister vero hospitalis pauperum prædictorum qui nunc est & pro tempore fuerit, curam ipsorum pauperum ac donatorum hospitalis ejusdem & aliorum habeat, quam à decano recipendam prædicto per se & alios idoneos, de quibus secundum Deum viderit expedire, valeat exercere.

LXII. Ceterum quia parum profecisset statuisse præmissa, nisi conatibus contrariis præsumptum obvietur; ordinamus & volumus, quod magister scholarum præfatus, & dilectus filius abbas monasterii Casæ Dei ordinis S. Benedicti Claromontensis diocesis, qui pro tempore fuerint, vel alter eorum per se vel alios seu alium requisiti super hoc, possint & debeant ad prædicta omnia & singula inviolabiliter observanda per censuram ecclesiasticam, & pœnas etiam alias moderatas auctoritate nostra contradictores cogere quoslibet ac rebelles, quod fideliter exsequendum eisdem in virtute obedientie injungimus, & distictè præcipimus & mandamus.

LXIII. Ordinamus insuper, quod quando- cumque in posterum sedem contigerit Anicien- sem vacare, dictum Anicense capitulum duos vel tres de ipso collegio viros idoneos & omni suspicione carentes sine mora dispendio assumere teneatur, quibus ab ipso cura admini- strandi bona universa episcopatus ipsius quam- diu vacaverit committatur: ita tamen quod illi, qui ad onus hujusmodi assumentur, sine dilatione quolibet de bonis ipsis mobilibus inventarium facere teneantur, ac interdico eis cujuslibet alienationis genere, de conservando & defendendo fideliter bona & jura episcopatus, & etiam de tenendo seu exercendo justitiam per se vel per alios, nec non de reddenda administrationis suæ futuro episcopo ratione, cum restitutione bonorum, quæ deductis necessariis expensis ad eos pervenerint, sub obligatione bonorum suorum promittant eidem capitulo recipienti pro eodem episcopo, præfatis super hoc ab eis ad sancta Dei evangelia corporaliter juramento: super quibus omnibus confici volumus publicum instrumentum. Quam etiam rationem, si ipsam sedem d'utiis vacare forsitan, quod absit, contigerit; teneantur ipsi capitulo reddere de sex mensibus in sex menses, Ad suscipiendum autem officium hujusmodi per subtractionem beneficiorum, quæ ab ipsa obtinebunt ecclesia, possit & debeat idem capitulo compellere quoslibet refractores.

Prædicta autem omnia statuimus observanda, non obstantibus aliquibus aliis consuetudinibus vel statutis ejusdem ecclesie hæcenus observatis, seu quibuscumque privilegiis vel indulgentiis ab apostolica sede quibuscumque personis, locis, dignitatibus, vel ordinibus generaliter

ANN O
1265.Cura cano-
nicorum
quibus com-
missa.Magister
scholarum &
abbas Casæ
Dei statuta fa-
ciant obser-
vare.Cura tempo-
ralium vacan-
tis episcopa-
tus duobus
committenda.

ANNO
1265.

vel specialiter, sub quacumque verborum forma concessis, aut etiam concedendis, per quæ nullum contra præmissa volumus obstaculum interponi, seu si aliquibus communiter & divisim ab eadem sede indultum existat, vel contingat in posterum indulgeri, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & qualibet alia indulgentia dictæ sedis generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam effectus præsentium possit quomodolibet impediri, & de qua in eis fieri debeat mentio specialis. Nulli ergo omnino hominum liceat ordinationes & statuta prædicta seu eorum aliquod infringere, vel ipsis ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentate præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Viterbii i. v. nonas Junii, Pontificatus nostri anno IIII.

VI.
Ex Anecd.
Martens
Tom. 2. col.
1816.

Henrico Hugonis Filio Comiti Ruthenensi concedit, ut à nullo Judice sedis Apostolicæ Legato aut subdelegato, possit excommunicari: anno 1268.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilecto filio nobili viro HENRICO nato dilecti filii nobilis viri HUGONIS Comitis Ruthenensis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Intendentes quieti tuæ, paterna qua te no-
stum & Ecclesiæ Romanæ devorum prosequimur, benevolentia providere, tuis supplicationibus inclinati, ut nullus iudex à sede Apostolica delegatus, vel subdelegatus ab ipso, executor, aut etiam conservator à sede deputatus eadem, in te possit excommunicationis vel interdicti sententiam promulgare sine speciali mandato sedis prædictæ faciente plenam & expressam de indulto huiusmodi mentionem, auctoritate tibi præsentium indulgemus, præsentibus post triennium minime valituris. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentate præsumserit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Viterbii Decimo Secundo Calendas Februarii, Pontificatus nostri anno III.

ANNO
1271.

GREGORIUS DECIMUS,

PONTIFEX CLXXXVI.

ANNO DOMINI MCCLXXXI.

Vide Compendium Vitæ in Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb. 1727. fol. 152.

I.
Ex Archiv.
Ang. Rimer
Tom. 2. pag.
10.

Bulla de Generali Concilio ad Lugdunum assignato: anno 1273.

ANNO
1271.

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

In litteris, quas per universos Orbis Principes & Prælatos super generalis convocatione Concilii destinavimus, locum in quo idem Concilium convenire deberet, ex causa duximus subicendum, prædiximus tamen in illis, quod locum eundem ipsis Principibus & Prælati intimare competenti tempore curavimus.

Nobis igitur cum fratribus nostris, huiusmodi loci electionem deducenibus in exactæ discussionis exam, occurrebant hinc inde diversa, quæ disputationem videbantur iudicium alternare.

Nec enim præterit nostræ considerationis indaginem, quam grave, quam durum est locum, Sedis Apostolicæ proprium, in quo præcipuorum Apostolorum glorificatus est exitus, in quo illorum corpora gloriosa quiescunt, terrarum spatio tam diffuso dimittere, tanto locorum intervallo à peculiari nostrorum populo urbis abesse, convicinis partibus, quæ Sedi eidem non solum spiritualiter, sed & temporaliter subesse noscuntur, commoditatem vicinitatis nostræ subtrahere.

Quanta ex absentia Nostra diversis Italiæ partibus possent imminere discrimina? Quantum partium earumdem inveterata scitura, pro redintegrandæ unitatis obtinendo remedio nostro auxilio indigebat? Quantis denique oneribus quantisque laboribus nos, & fratres nostros (quorum aliquos ætas, quosdam debilitas, nonnullos infirmitas, & omnes ad hoc defectudo reddit inhabiles) exponimus non sine rerum dispendiis quæ quasi pro nihilo ducimus, non sine discrimimbus corporum, quæ non facile contemnerunt: Hæc & alia quæ non posset succinctus sermo percurrere in partibus istis locum huiusmodi eligendum concludere videbantur.

Verum ea quæ in eodem sunt agenda Concilio, contrarium suadebant & specialiter negotium Terræ Sanctæ; quam dum creatori omnium cariorem omnibus scriptura describit, satis apertè indicat carissimam procul dubio à nobis habendam; cum soleat, quod est in superioris conspectu præstantius, in subditorum extimatione præstare.

Accedit insuper beneficiorum consideratio, quæ inibi humano generi de divinæ superabundantia gratiæ obvenierunt; Siquidem salvator hominum operatus est in medio illius Terræ salutem: Ibi sumpsit temporalis nativitatis initium. Ibi conversationis humanæ deduxit tempora: Ibi post probrosa Passionis opprobria, pro redemptione nostra, mortem subiit temporalem, & sui pretiosi effusione cruoris vetus piaculum expiavit.

Numquid igitur non contingent Redemptorum corda, immensa & innumerabilia beneficia Redemptoris? Numquid non accendent cuiusque præcordia, ut ipsi pro tot, quæ nobis tribuit, hoc saltem necessitatis tempore, aliquid rependamus, dum Crucis hostes Crucifixum habentes obstrui, cultores ipsius Christiani nominis Professores, ut Christi cultum de terra deleant, incessanter exterminant & conculcant, ipsos debilitantes viribus, extenuantes opibus, & eorum facies replentes ignominia, ipsosque diversis confusionibus saturantes?

Ad